

1177

1994  
A  
1386







Freiherr v. Ende-Miljeswitz.



DISPUTATIO OCTAVA,  
**DE POSTVLANDO**  
**ET DE HIS QUI**  
 NOTANTVR INFAMIA.

Vbi obiter immixta Tractatio de Adsefforum  
 & Aduocatorum officio.

QVAM

*Deo Auspicante*

PRÆSIDIBVS

*Clarissimis & Consultissimis Viris ac DD.*

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &  
 Dn. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,  
 respectiuè Dictatore & Fisco.

*In publico Iuridicæ facultatis apud Vbios Auditorio, defendet*

PATRICIVS CASSIDE Ibernus, AA. LL. ac Philoso-  
 phiæ Magister & Iurium Studiosus.

Anno cIo. Io. c. xx. Ix. die 5. Aprilis.

8.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.





DEPUTATIO OCTAVA

DE POSTULANDO

ET DE HIS QUI

NOTANTUR IN ANIMA

Vbi ostenditur immixta Tribuna de Arbitrio  
& Advocatorum officio

QVAE

Deo Assistenti

Præses dicitur

Classico & Capitulum dicitur

Dr. Pater Obergermannus, J. N. ...

Dr. Arnoldus ...

responsores dicitur

In publico iudicio factum per Vires Auditoris deservit

PATRICIUS CASSEUS, A. L. & Philolo-

gus Magister & humani studiorum

Anno c. 16. c. x. x. die 4. Aprilis



COLONIE AGRIPPAE

Erud. ...

...

...

...





## CONTINUATIO.



Um neque Pacto, neque Transactionibus lis mota sopita est, tunc ad pleniores postulationes, disceptationesque iudiciales confugiendum, Ideoque nunc de postulando, & de his, qui propter infamiam postulare non possunt, agemus.

### CONCLUSIO PRIMA.

**P**ostulare est desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum exponere, qui iurisdictioni præest, vel alterius desiderio contradicere *l. 1. §. 2. ff. h. t.* neque accusare est, neque nomen deferre: nam postulare, cum ad iudicia publica refertur. *Vvesenb. t. de procur. n. 2.* propriè illud significat, petere à prætore, ut liceat sibi lege aliqua publicorum iudiciorum, quempiam interrogare, utrum in eam legem commisit, nec ne, ut si fateatur, ei lis æstimetur, si neget, eius nomen inter reos referatur. *Cic. ad Q. frat. lib. 1.*

2. Vocabulum postulare est ἐν τῷ πολλαχῶς λεγομένων: Siquidem dicitur postulare capitis, pro reum facere criminis capitalis, *l. 53. ff. de fidei. & postulare expilatæ hæreditatis. l. hæres. Viri 33. ff. de neg. gest.*

3. Postulatio etiam est, alicuius personæ ad dignitatem, vel ad societatem fraternam vocatio; vel est personæ, quæ eligi non potest ad eligendum petitio. *t. t. X. de postul. Prælat.*

4. Postulare pro tribunali licet his, *l. 4. §. pen. ff. de dam. infect.* qui legum sunt periti, *l. 1. ibi (Iuris Studiosi) ff. de assess. & facundi, §. Illud vero 9. in procem. ff.* ob quam causam Aduocati facundissimi & disertissimi, &c. passim vocantur, *l. 13 Cod. Aduoc. diuers. iudicior.*

5. Nimia tamen loquacitas, & maledicendi temeritas illis vitio vertitur, *l. Quisquis. 8. C. de postul.* ne eis dicatur: GARRVLA PICA TACE. *Specul. de Aduoc. §. 5. n. 2.* Cum insuper ob nimiam loquacitatem ab officio repelli possint *arg. eo in loco 5. q. 4. Spec. de Aduoc. §. 6. n. 12.* quæ iudicem sæpè molestijs onerat, & causæ fulcimina euertit; potissimum si plus eloquentiæ, quàm iuris sapientiæ tribuitur. *Lancell. Polit. de off. Aduoc. c. vlt.*

6. Legitimo matrimonio nati Assessorem agere possunt, *Mynsing. 4. obs. 31.* nam infamibus & vilibus personis dignitatum portæ aperiendæ non sunt, *l. 1. C. de dignit. Assessura* autem, dignitas & honor est. *Coras. ad l. 2. n. 4. ff. de*



*off. assess.* vnde modò nobilissimi vocantur, *l. providendum 7. C. de postuland.*

7. Debent etiam 25. annis esse maiores Aduocati, *Purp. in l. 1. n. 63. d. Assess.* quamuis, vt *Nerua filius. l. 1. §. 1. ff. de postul.* maiores 17. annis iudicij & eruditionis maturæ ad hoc munus admittantur, *Carpan. 1. stat. Mediol. 65. n. 7.*

8. Hi primò legitimè examinantur; semel coram Rectore prouinciæ, ex qua quis oriundus, vel si is absit, coram ciuitatis Defensore, vt ex Actis publicis cognoscatur, vtum subiectus sit vitæ cohortali, nec ne: neque enim dignitas ordinis Aduocatorum patitur, vt in eum recipiatur, qui antea fuit apparitor, aut officialis vilioris conditionis homo. *l. 8. l. 11. C. de aduoc. diuers. Iudic.*

9. Semel item apud ICtos, vt constet de ipsius peritia. *d. l. 11. §. non aliter.* id est, vnde hodie Præses & Adseffores Camera in originem doctrinam & vitam antea actam aduocati inquirere iubentur, *Denais. tit. Iur. cam. 232. n. 1.* vt eum non recipiant, quem crudeliter peccare in sumendo doctoris nomen indignè iudicant *gloss. c. 2. in Clem. de mag. & ne quid.* sed illum tantum, qui ex ordine Equestri desumitur, aut qui Doctor, vel Licentiatus insignitus legum & rerum forensium cognitionem habeat, *par. 1. ord. Cam. tit. 3. §. Desgleichen*

10. Deinde in matriculam recepti Aduocaturâ administrabunt. *l. 13. C. de Aduoc. diuers. iud.* verû hoc de statutis cuiusq; fori Aduocatis verum est: Nô etiam supernumerarijs, *Don. 18. Com. 3. part 137.* sic in Camera certus aduocatorum numerus est, qui albo Camerali inscribitur, *d. t. 18. Denais. d. t. 232.* plures enim supernumerarij, quamuis licitum est ipsis litigantibus secum Aduocatos adducere, qui causam Cameralibus exponant, modò ad instantiam iudicis aut Partis de calumnia & malitia iurare parati sint, *p. 1. ord. Cam. 25.*

11. Requiritur denique, vt Aduocatus modico sit contentus, ne si lucro, pecuniaque aduocatus capiatur, velut abiectus & degener inter vilissimos quosque numeretur *l. 6. §. apud. in fin. C. de postul.* neque enim res sanctissima ciuilibus sapientia precio nummario aut æstimanda, aut dehoneftanda, *l. 1. §. 5. ff. de extraord. cogn.*

12. Hinc nec vllum contractum cum cliente celebrare potest, *d. l. 6. §. praterea. Denais. t. 244. n. 6.* ne cupiditate lucri abreptus, miserum suum clientem pecunia emungat & ab ipso quiduis per occasionem susceptæ litis extorqueat. *Donell. d. p. 144. & seq.*

13. Nec quisquam assidere in patria potest, *l. 10. C. de Assess.* An quia timendum, quod nullus Propheta sit in sua patria acceptus? ita vult *Accurs. in l. 37. ff. quib. ex caus. maior.* An idè, ne graciosus, aut calumniosus apud suos videatur, atque ita innocentia, & continentia tramites excedat, quod opinatur *Ant. Fab. d. l. 37.* tamen concludunt *in d. l. 37.* ad quatuor menses ipsi de iure communi concessum esse in patria assidere, & vltra hoc tempus, cum consensu Principis.



14. Vt plurimum ipsi litigantes aduocatum quærunt, *l. 2. ibi desiderantibus, C. de postul.* quandoque etiam iudices illum partibus dare solent, *l. 1. §. 4. ff. de postul.* videlicet si publica utilitas id suadeat; veluti si ipsi litigantes sint pauperes, minores, debiles, vel si per Aduersarij machinationem aduocatum inuenire nequeant. *l. 9. §. pen. de off. Procons.* Et quidem his Magistratus Aduocatum ex officio dabit salario ipsis ex publico constituto, quod idem est in Procuratoribus & Notarijs, *Benincas. de priuileg. pauper. quest. 7. n. 10. Gothofr. ad l. 156. ff. de Reg. Iur.*

15. Si Iudex videat ab vna parte nobilissimos & disertissimos, ab altera tenuiores stare, parem causidicorum distributionem faciet, vt vterque litigans habeat, qui prudenter ambigua fata causarum dirimere possint, *l. 7. C. de postul.*

16. Nobilissimi autem vt plurimum sunt, qui multo tempore causas in foro orarunt. Nam quod dici solet:

*Solus & Artifices qui facit, vsus erit.*

vel hic maximè procedit. Neque enim si quis Theoricam iuris optimè intelligat, statim sine exercitatione præuia, ipsa media, quibus causæ succurrendum adinuenire, & proponere poterit *Lancell. Polit. de off. Aduoc. c. 8 n. 6.*

17. Assumi potest, vnus vel plures Aduocati, *d. l. 7. iure Camerae vnus saltem aduocatus causæ operari debet, adeo vt alius nec parti litiganti consilium suppeditare possit, per. 1. ord. Cam. tit. 19. in pr.*

18. Admittitur etiam Aduocatus tam in causa criminali, quàm ciuili. de hac *tex. l. 5. ibi partis. & passim, C. de postul.* De illa in *l. 2. C. de exhib. reis.* Adeo vt pro criminosis interuenire possit, & si statuto banniti aut excommunicati Auxiliatoribus poena infligatur, veluti in receptatoribus Bannitorum euenire docet, *Gail. 2. de p. p. 10. n. 1. semper tamen is exceptus videtur Clar. recep. sent. §. fin. quest. 28. de stat. 2. n. 2. rectè enim cum defensio sit iuris naturæ. l. 3. ff. de Iust. & Iur.*

19. De Hæreticis tradunt Dd. teste *Vmmio disp. ad process. iud. 2. de Assess. thes. 7. n. 38.* quòd ipsi causam ex vinculis dicere cogantur. & rectè *Clar. 5. sent. §. hæresis. n. 19.* id admittit, vt procedat, quando constat quem hæreticum, & latronem esse, tum enim crimen est notorium, Adeoque frustra Aduocatus accedere videtur; nam quod quibusdam in locis etiam notorio facinoroso Aduocatus datur, id totum præter necessitatem fieri existimat; Adeoque denegato Aduocato, ipsum rectè vltimo supplicio mancipari posse statuit, quotiescunque de corpore & qualitatibus delicti notoriè constaret, *Vmmius cum alijs d. disp. ad process.*

20. Assessor ab adsidendo dictus est, *l. vlt. de assess.* qui magistratui assidet, viro militari & legum simul ignaro, *Cuiac. ad Nou. 82. & à Principe dato iudici, qui certè pro magistratu habetur, gloss. inc. 62. verb. delegatus. X. de postul. & iudicem dare potest, l. à Iudice C. de Iud.*

21. Reliqui verò Iudices, Adseffores non habent, quos oportet iuris pe-



ritia tinctos esse, *Nouell. 82. ibi. Cuiac.* nec delegati etiam iure Pontificio, præterquam si ijs indigeant. *c. Statutum. §. assessor. de rescrip. in 6.*

22. Assidere, sic etiam postulare non potest insigni turpitudine notatus *l. 1. §. 5. h. t.* vel iste qui muliebria voluntate passus, capitali crimine damnatus operas suas locans, vt cum bestijs pugnaret, siue pugnauit, siue non, *l. 1. §. 6. ff. h. t.* item de quota litis cum cliente pactus, *l. 5. c. Eod. mulier, cæcus, l. 1. §. 5. h. t.* his adiungitur, Bannitus & Excommunicatus, quod ad maiorem excommunicationem restringit. *Specul. de Act. n. 13.*

23. Prohibetur postulare Religiosus professus in foro seculari, & ciuili, nisi ad ecclesiæ suæ utilitatem causa pertineat, idque Abbate præcipiente fiat. *c. ex parte h. t.* item Clerici qui religiosi non sunt, coram seculari iudice, nisi in propria causa, vel suæ ecclesiæ, vel miserabilium personarum, *c. 1. X. h. t.*

24. Attamen coram seculari rectè postulant clerici minoribus ordinibus insigniti, si non alantur stipendijs ecclesiæ, *d. c. 1.*

25. Nec Decurio contra patriam, excepta patris, filij, pupilli causa, *l. 10. §. 1. de postulan.* Nec Aduocatus fisci contra fiscum, *l. 1. C. de Aduoc. fisc.* neque vasallus contra dominum, præterquam, si vt ingratus feudo priuari malit. *Specul. de Aduoc. §. 1. n. 30.* neque Clericus contra Ecclesiam à qua beneficium habet, sub priuatione beneficij, *c. fin. X. de postul.*

26. Quod si rectè fungitur officio Assessor vel Aduocatus hoc præmij habet: quod ab oneribus personalibus liber & immunis est, *l. 11. C. de assess. & salarium publicum totius anni ad hæredes transmittit, etiamsi ante anni finem moriatur, l. 15. §. 1. C. de Aduocat. diuers. Iur. & meritò, cum quasi per gloriam perpetuò viuere dicuntur. arg. pr. inst. de excusat. tut. vid. l. 40. §. 1. de acquir. poss.*

27. Habet ius Castrensis peculij in bonis acquisitis, *l. 7. C. de assess. & ex publico salarium consequitur, l. vlt. de off. assess.* item eius filij, si idonei reperiantur in numerum Immatriculorum aduocatorum in electione, sine vlla suffragij præstatione & sumptu præferuntur, supernumerarijs, & extraneis, *l. 11. C. de Aduoc.*

28. Sed si contrario modo egerit Aduocatus, vel si nouum & iniquum ius magistratui suggerit, *Edicto, quod quisque Iur. & c.* subijcitur, cum ipse legum peritus virum militarem & iurium ignarum magistratum nihil dolo malo decernentem, instruere debeat, *Cuiac. 7. obs. vlt.*

29. Quid fiet, si aduocatus ad conuincendum Aduersarium suum fallacijs & deceptionibus vtatur? id in bona causa tantum frequentius obtinuit, *Myns. 3. obs. 6.* At id sine mendacio & periurio faciendum esse, monet rectissimè *Cagnol. in l. 66. n. 12. de reg. Iur.* vsque adeò, quod nec in bona causa licitè Aduocatus vti possit cauillationibus & fallacijs, *Schrot. disp. 9. Arbor feud. in coroll.*

30. Sed pone casum, quod aduersarius intendat, me ipsi ex mutuo decem debe-



debere, quæ tamen sibi soluta nouit: Eo casu non dubito, quin simpliciter negare liceat, me ipsi quicquam debere: Nam qui soluit, nihil reuera debet, vt neutiquam mentiri eo in casu videar, *Accurs. in l. Si quidem. C. de Except. Gutierrez. 1. pract. quest. 60. in fin.*

31. Sed an iure etiam negare possum, me ab ipso decem mutuo accepisse? si quidem præcisè ad eiusmodi positionem respondendum sit, vti in Camera Imperiali requiritur. iuxta *Gail. lib. 1. obser. 82. n. 5. & seqq.* Fac; ita positionem conceptam fuisse. *Wahr daß Segner zehen Thaler von mir geborget.* Affirm. *Covarr. 1. resolut. 2. n. 4.* quod liceat eam negare, prout ponitur, quo modo quis mendacium non effugere putem; Est enim certissimum decem mutuo data esse, vt si hic positionem neges, ipsum mutuum neges: Proinde *Marant. de confess. n. 28.* Eiusmodi positioni sic respondendum putat: *Nihil mutuaasti, propter quod sim tibi obligatus.* Sed hæc responsio naturam responsionum egreditur, & cathégorica non est: Quapropter non negandam hanc positionem censeo, *Cauall. in comm. opin. quest. 362. cum seqq. Gutierrez. 1. p. 2. quest. 60. n. 1.*

32. Finitur aduocati officium morte eius, *l. Post duos. 15. §. his quoque. §. 1. C. de Aduoc. diuers. iud.* Aut eo, ab officio remoto, *l. Imperator. 8. h. t.* vel cum ipsa instantia finita est, cuius causam semel susceptam deserere non potest, si circumstantiæ aliud non suadeant, sed vsque ad eius definitionem causæ operari debet, *p. 1. ord. cam. t. 62. in fin.*

33. Definitionem causæ intelligunt, non quando planè causa vltèrius neque per appellationem, neque alio modo tractari potest, sed quamprimùm in prima instantia per sententiam decisa est, & tum ipsius officium expirare, ita vt pro pacto salario, clientulo ampliùs patrocinium præstare non teneatur, docet *Pet. de bell. pert. ad l. 17. n. 16. C. de procurat.*

34. Vnde illud quæsitum est, si in prima instantia tuus fuerim aduocatus; an secundam rectè relinquere, & forsan ad aduersarij partes descendere queam? Negamus primò, quia definitiua illa neutiquam dici potest, quotiescunq; à prima instàtia prouocatur, *rex. in l. 32. §. 3. ibi suspensis. C. de Appell.* Secundò, quia Aduocatus secreta causæ Aduersario detegere, aut cum ipso colludere non potest, *l. 1. C. de Aduoc. diuers. iudic.* sub poena præuaricationis, *l. 1. §. vlt. ff. de præuar.* Tertiò, sicut procurator, qui simpliciter Actionem suscipit, eam in prima instantia prosequi tenetur, *l. 17. C. de Procurat.* ita nec in secunda instantia ad Aduersarium meum Aduocato transire licet, vt in terminis docet. *Horat. Carp. d. c. 443. n. 9.*

35. Effectus suscepti patrocinij & aduocationis est, à parte Clientis, quod omne commodum inde quæsitum ad ipsum redeat, non item incommodum, *vid. Don. 18. com. 4. in pr.*

36. Quod verò ad incommodum attinet, illud non statim ipsi litiganti impingendum, refert enim vtrum quid dolo fecerit aduocatus, an errore. si dolo, veluti si cum aduersario colludat, adeò id factum Clienti non nocet



cet absenti, nec præfenti, sed semper inde victo, etiam non prouocanti, collusione detecta liceat ab ea vicissim agere, *l. 1. C. de Aduoc. 1. diuers. iudic. Don. d. c. 4.*

37. Quod si per errorem iuris siue facti (nihil enim id refert, cum hic de damno rei amittendæ agitur; vbi iuris errorem non nocere notissimum est, *propt. l. 7. l. 8. ff. de Iur. & f. c. ignor.*) peccatum est, interest, an absente litigante id factum sit, an præfente. si prius, error Aduocati clientulo non nocet, *l. vlt. C. de errr. Aduoc.* si verò præfente cliente erratum est; is error ipsi clienti nocet, non minus, quàm si ipse cliens in iudicio illum errorem admisisset, *l. 1. & ib. Az. in sum. n. 1. C. eod.*

38. Planè si passi sunt triduum præterlabi, dicendum est, ipsis adhuc licere post sententiam appellatione interposita illum errorem reuocare, *Don. & Dd. in d. l. vlt.* quòd si ne illud quidem fecerint, deinceps cum erroris admissi allegatione non audientur, *l. 7. d. l. vlt. de Iu. & fact. igno. ib. Accur. & Dd. com.*

39. Hæc de Postulando. Nunc de Infamia, quæ est secundum *Bart.* læsæ dignitatis status, *l. 1. n. 1. h. t. vel Accurs.* famæ imminutio, nota siue priuatio, *l. 1. C. eod.*

40. Vna est iuris, quam lex ob turpe aliquod commissum nocenti irrogat, *glos. & Dd. in l. 1. h. t.*

41. Irrogatur autem edicto, *l. 1. l. 2. h. t. lege, decreto Principis, Scto, d. l. 1. & 2. h. t.* aut sententia iudicis, *l. 13. §. ex compromisso. h. t.* nunquam per laudum arbitri, *d. l. 13. d. §. ex compromisso.* nam famæ causa capitali æquiparatur, *l. 1. in l. Actio. 6. n. 24. ff. de in lit. iuran.* vt igitur de vita & capite priuatim statui nequit, *l. Liber homo. ff. ad L. Aquil.* ita nec ex compromisso existimatio cuiusquam imminui potest.

42. Priores tres species ipso iure vel ipso facto infamiam irrogant, hoc est, statim post ipsum delictum infamia præoccupat sententiam, posterior demum per sententiam ipsam & condemnationem, infamiam imponit, *l. Non distinguemus. 3. §. Iulianus. vbi Bl. d. Recep. arb.*

43. Ipso iure notatur infamia ob solum delictum, & ob pactum de maleficio cum pretio remittendo initum, *l. Nō damnatos. 18. C. h.* sic mulier macula existimationis aspergitur, quæ marito defuncto intra annum luctus alteri nubere festinauerit, *l. 2. C. de se. un. nupt.* nisi à Principe non prægnans id impetrauerit, *Nou. 27. c. 47. ib. Cuiac.* vel maritus talis sit, quem more maiorum lugere non oportebat, *l. 11. §. 1. ff. h. t.*

44. Secus iure canon. quò mulier nubens intra hoc tempus infamia non notatur. *c. pen. & vlt. de secund. nupt.* quæ tum ab omni poena legali in odiū secundi matrimonij apposita; nō verò ab ea, quæ in fauorem liberorum introducta est, liberatur, *Gail. 2. obs. 98. n. 8.* vnde mulier hoc casu non amittit legata à defuncto marito sibi relicta, *Boer. decis. 186.*

45. Bina sponsalia, binasque nuptias eodem tempore contra hentes fiunt  
infa-



infames, l. 2. C. de incest. nupt. Quia Polygamia etiam diuino, humanoque iure improbat, Goth. ad l. 7. C. de Iud. vnde Noe non masculum & plures femellas assumpsit, Gen. 7. Sed D. Apostolus Paulus ait: Vnusquisque habeat uxorem suam, & non suas, c. Gaudeamus. §. quia. de diuort. Quapropter damnamus rebellem naturæ legislatorem Turcarum Mahometum, qui, hodie vnicuique 12. vxores habere, & ancillas sine numero permittit.

46. Inter infames iuris, referuntur tutor, vel curator sibi filioe eam ducens, quæ sub tutela vel cura eius est, vel fuit, l. 17. C. de interd. patri. & qui improbum foenus exercent, & vsuras vsurarum illicitè exigunt, l. 20. C. h. t. nec obstat conscientia debitoris, cum consideratur creditoris malitia, qui foenus exercet, vt aliena deuoret. l. Si quis seruo C. de furt.

47. His additur, qui à iurata transactione, quam nullo cogente maiorennis iniit, recedit, l. 41. C. de transact. etsi Mulier sit, Ias. ibid. quæ tamen ignorantia iuris in casibus à iure expressis excusatur, l. fin. C. de iur. & fact. igno.

48. Non tamen hæres transigentis, in d. l. 41. quia iuramentum est vinculum personale, cohærens personæ iurantis, c. veritatis de iuram. in 6. nec comprehenditur vniuersitas, in d. l. 41. cum ista, vt pupillus iuuari debeat, l. 3. C. de Iur. Reipub.

49. Per sententiam infamia irrogatur, cum vel de infamia ipsa pronunciat, vel de delicto: Illius exemplum est, quando quis ab exercitu ignominie causa per Imperatorem, vel eum, cui ea de re statuendi potestas fuit, aut per exautorationem, vel insignium militarium detractioem, dimittitur, l. 1 in. pr. l. 2. h. t.

50. Ex sententia, quæ de delicto lata est, vt infamia quis notetur, hæc concurrere debent, vt de crimine publico & famoso Pet. Greg. in syntagm. Iur. lib. 31. c. 29. n. 9. vel etiam priuato infamante, & vt de dolo quis accusatus sit, §. suspectus Inst. de suspect. tut. vt & conuictus, & condemnatus, vel sententiam contra se latam, iustis remedijs non suspendit, Gloss. in l. Athletas 4. in verb. fin. h. t. Huiusmodi criminum exempla sunt ex publicis, homicidij poena, repetundarum, l. Iudices 12. in verb. conuicti C. de dignitat. sacrilegij, c. Imperialem. §. calliditatis insuper vers. scriba verò. De prob. feud. alien. per Frid. vt notarij propter instrumentum de rebus illicitis inter partes confectum damnati. Zas. in l. 2. §. fin. n. 17. in fin. de solut. matr. deinde de falso damnati, l. 1. h. t. l. furti. 6. eod.

52. Priuatorum exempla sunt, furtum, l. Site. 12. C. h. t. modò iudicatum non extinguatur vi appellationis, l. 1. §. vlt. ff. ad SC Turpill. huc concurrunt, Vi bonorum Raptorum, l. 4. in fin. h. etiam de dolo malo & fraude, l. 1. h. nisi suscepto iudicio mox soluerit, Bart. in l. 22. h. t. quia aliud est soluere, aliud confiteri; is enim qui confitetur, pro cõdemnato habetur, l. vn. C. de confess. ideò merito ex edicto prætoris infamia notatur. At qui soluit, non confiteatur, vt cõdemnetur, sed vt euadat iudicium, §. fin. Inst. de perpet. & temp. Act.



52. Huc quoque referuntur iudicia quædam extraordinaria, vt si quis de crimine stellionatus damnatus est. si ex eo crimine descendat, quod etiam in priuato iudicio condemnato infamiam importet, *l. Quid ergo. 1. §. vlt. h. t. Duar. 1. disput. 42.*

53. Huc facit sepulchri violati actio, *t. t. ff. de sepul. viol. & iudicium, quod datur in calumniatorem, l. 4. §. calumniator. 4. h. t. & in præuaricatorem, l. 3. in pr. §. fin. de præuar.* Item mulier de qua pronunciatum est, eam calumniæ causa in possessione ventris nomine fuisse, *l. 5. & seq. h. t.* quod de tergiueratore ex *S Cto Turpill.* obtinere videtur, *arg. l. 1. 2. C. vt intra cert. temp.*

54. Huius quoque generis sunt moti ab ordine ex causa famosa, vt relegati, *l. Nullam. 14. C. h.* qui quamdiu tempus relegationis durat, infames sunt. hac tamen secundum *Vvesenb. in paratit. h. n. 8.* adhibita distinctione, aut sententia relegationis temporalis clementior est delicto, idque vel ex causa, vel sine causa: priori casu, tempore exacto infamia expirat, *l. 3. verb. certis rationib. C. h. t.* posteriori relegatus etiam finito relegationis tempore infamis permanet, *per l. Generaliter. 3. ff. de Decur. l. ad tempus. 6. C. h.* nisi hisce casibus duobus ex verbis sententiæ remissio iniuriæ appareat, *l. 4. C. ex quib. caus. infam.* aut sit sententia grauior delicto, *l. Quid ergo. 13. §. pœna. h. l. Si Possidonium, 4. C. eod.*

55. Effectus huius infamiæ, præter supra enumeratos, est, quod infames à testimonio arcentur, *l. 3. ff. de testib.* ab accusatione, *l. Qui accusare de Accusat. & honore l. 2. C. de dignit.* quamuis ab oneribus, veluti tutelæ, arbitrio, procuratione, *c. pen. de regul. iur.* minimè liberentur, *§. fin. inst. de except.*

56. His adiungitur, quod hæres institutus à fratribus præteritis per querelam inofficiosi repelli potest, quod & in infamia facti obtinet, *l. fratris. C. de inoffic. in verb. leuis nota macula.*

57. Nec illud omitam, in benè constitutis rebus publ. & dicasterijs summorum Principum infames procuratores non admittuntur, *Gail. 1. obs. 43. n. 6.* nec in illis tabellio infamis creari potest, cum hodie merces ipsi non tam pro opera quàm pro industria & publico authoramento constituta est. Ergo non sunt ignobiles tabelliones quod *ex Cicer. lib. 1. offic.* notauit *Alciat. in l. Mercis appellatione. de verb. signific.* vel si dicas eorum officium dignitatem non esse, tamen quia fidem requirit, & interdum ex malè gesto infamia notantur, absurdum erit fidem haberi turpi, & à perfidia infamem metu infamiæ abstertere. *vide tamen Couarr. in pract. quest. c. 19. n. 5.*

58. Iam facti sequitur infamia, quæ non iure, sed re ipsa minuit apud bonos existimationem, vt si quis à iudice increpatur, *l. Ob hac verba. 20. h. t.* vel à parente in testamento perstringitur, *l. 13. C. eod.* vtraque infamia præter alios effectus à dignitatibus excludit, *l. 32. C. de decurion.* Vacationem verò à muneribus non tribuit, *l. vn. C. de infam.*

59. Nec spurij facti infamia communi, DD. calculo, liberantur, *Bl. in l. 4. in pr. ff. de lib. & postu.* & proinde nec assessores in Camera, *Myns. 4. obser. 21. vid.*



vid. Ord. Cam. par. 1. 2. 3. §. Desgleichen. nec Consiliarij Principum esse possunt, Bl. in l. cum lege. ff. de stat. hom. nec insignia Doctoris in quibusdam Aca-  
demijs impetrare queunt, Myns. d. obs.

## C O R O L L A R I A.

### I.

An Aduocatus in propria causa salarium petere possit? Negat Gaill. 1. obs. 151. n. 17. Quid si interesse petat, veluti, quod sibi mota lite præpeditus aliorum causas orare non potuit? Audietur. Myns. 1. obs. 2. in fin.

### II.

An Aduocatus contra dominum suum vel patriam, causas defendendas, non obstante quod edictum de postulando sit prohibitorium, & nullibi hic casus prohibitus reperitur, suscipere possit, Neg. Ayres in processu suo. p. 1. c. 5. obs. 1.

### III.

An vtriusque partis consensu infamis ad laudabile Aduocatorum munus subeundum admitti possit, Neg. Cuiac. in parat. C. quib. ex caus. infam. irrog.

### IV.

Aduocati circa salarium sunt melioris conditionis, quàm Medici. Nam Aduocato salarium præstitum, sin per ipsum non steterit, quin causa expediatur, vt quia morbo laborat, aut diem obit, tunc salarium repeti non potest, arg. l. 1. §. Diuus. 13. ff. Extraord. & var. cognit. Secus est in Medicis, qui eatenus consequuntur salarium, quatenus laborauerunt. Iohan. Sichard. ad l. fin. C. de cond. ob turp. caus.

### V.

Aduocatus promittens patrocinium causæ suo Clienti vsque ad sententiam definitiuam, in causa appellationis non tenetur denuò aduocare pro priori precio, l. Properandum. 13. §. Illud procul dubio. Gloss. in verb. Terminum. & l. pen. C. de Iudic. Matth. Coler. p. 2. decis. 230. cuius distinctionem tamen non excludimus.

Au.



Auctaria Paradoxa Miscellanea Iuridico-Politica,  
& Theorico - Practica.

I. Seruitutem in Republica Romana iterum introducendam utile &  
non iniquum fore defenderem.

II. Probam Aquæ frigidæ, quâ in examinatione Maleficarum Iudices  
in quibusdam locis etiamnum vtuntur, rationibus non ita ficulneis niti,  
salua determinatione sedis Apostolicæ, in scholis euincere tentabimus, cum  
*Iacob. Rick in defens. compend.*

III. Quia nudum ius æstimatur solo vsu; Hinc ius naturale nulla ratio-  
ne ius dici potest. *A Egyd. Hortens. in pr. Inst. de I. N. G. & Ciu.*

IV. Iustinianus nullam iuris non scripti speciem in Pandectis reliquam  
fecit. *arg. §. 6. Const. de concept. Digest.*

F I N I S.






X 2874408

94 A 7386


VD 17











Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



OCTAVA,  
VLANDO  
HIS QVI  
INFAMIA.

tractatio de Adsefforum  
rum officio.

A M

*hicante*

DIBVS

*tissimis Viris ac DD.*

ANNO, I. V. Doctore, &  
s s, SS. LL, Licentiato,  
atore & Fisco.

*pud V bios Auditorio, defendet*

rnus, AA. LL. ac Philoso-  
arium Studiosus.

. Ix. die 5. Aprilis.



GRIPPINÆ,  
h, prope Augustinianos.

